

eam honorandam esse dixerit, honoretur. Qui Absolutismus de-
 nuo cum rationi sanæ, tum revelationi divinæ contravenit. Ec-
 qui enim non honoremus Parentes sub Deo, cum Deo, post Deum?
 Ecqui non timeamus infernum, quatenus Deus corpus & animam
 infidelium per illum perdere potest? Ecqui non diligamus liberos,
 cum ipsa natura *σαργαῖς* parentibus inseverit? EXPERIENTIA est
 istud principium Theosophorum, quod imposuit longe plurimis:
 unde scandalosa Poiretti distinctio inter Theologiam Scripturariam
 & Experimentalem enata. Secretiorem hanc practicam cum Bo-
 naventura Theoriæ anteponunt, rati, omnia hic per experientiam
 propriam agi, & observationes non vulgares de illuminatione inter-
 na, discretionem spirituum, & lumine Dei interno hinc capessi. EX-
 TERNUS HOMO hic subscribere judicatur Libris Symbolicis & Con-
 fessionibus, imo & peccare subscribendo; at internus non item. Ut
 ut ipse Apostolus confessionem oris æque exigat, ac fidem cordis;
 illis tamen omnia evalescunt, quæ externa sunt, utpote quæ inte-
 riorem hominem nihil juvent, sed omitti queant. Tam parvi æsti-
 mant œconomiam Verbi & Sacramentorum, divinitus ordinatam.

F.

FAMES. Tametsi esurientes ac sitientes justitiam a Sofandro
 beati prædicantur; Quietistæ tamen impedimentis penitissimæ
 devotionis etiam famem annumerant, & hanc inter signa imperfe-
 ctionis volunt relatam. Datur quidem apud Amosum Prophetam
 fames, quæ est justa Dei poena & Verbi divini abstractio; inde tamen
 haud videtur sequi, quod desiderium audiendi verbum pietati adverse-
 tur, aut devotionem sufflaminet. FANATICI sunt, quorum princi-
 pium, medium & finem in Prologo hujus Diatribes jamdum oculis expo-
 sui. Ex fructibus, cum dogmaticis, tum moralibus, nostra hos cognovit
 ætas. Præ cæteris insignes sunt hypocrisis, arrogantia, contemptus
 proximi, impuritas, temeritas, Sacramentorum vilipendium, ministerii
 publici infestatio, Confessionum execratio, Reformatismi novelli pru-
 ritus, & plura alia, quibus undiquaque turgent, vitia. Objicis *✕*) *multa*
tamen apud hos legi bona, salutaria, imitabilia. Rehero, hæc ne-